ſoluuntur. In ſale ſunt tres ſubſtantiæ ſymbolizantes. Prima ſubſtantia eſt ipſummet corpus fixum & fuſile inſtar metalli. Quod ab eo exit eſt ſal Armoniacum, quod ſublimatur & non comburitur, quare reſpondet Mercurio: ſal petræ ſulphuri. Rurſus inertiam humani generis admirari ſubit, quæ iſtis naturæ admirandis arcanis neglectis in ſuperficie rerũ incerta fluctuat. Sapientiam nempe longè à nobis peccatum fecit, nimirum ſuperbia, luxus, deſidia. Et ſane experimur facilius eſſe ℞ ſcribere & ad imperitum coquum ablegare ægrotũ, quàm in ipſa naturę penetralia carbonibus cineribus ſordidũ, ingredi: & promere indè magno ſudore quod ipſe ægro exhibeas: difficile eſt delicatulis cuiuſlibet corporis formam indagare ſpecificã, & purum ab impuro ſeparare: Medicina non in corpore ſed in forma ſpecifica, in qua ſola virtus eſt, conſiſtit. Corpus autem mortuum & ineptum eſt ad agendũ. Forma vero cum ſit virtus, ipſa operatur, ipſum corpus viuificat, ipſum reſuſcitat & ſpirituale reddit. Quod omnia deinceps penetrat, cui nulla amplius corruptio aduenire poteſt. Poſtremo ſpirituale hoc & virtuoſum corpus diuerſis

*Facilius eſt ſcribere Recip. quã operi manum adhibere.*

*Virtus rei in forma.*